

ac confertis manibus, statario & quasi pedestri prælio dimicatum: demumque Genuensium rebus prorsus accisis, Grimaldi triremi ex ipsa collisarum captarumque navium strage ac ruina a suis ægre revulsa, victos Ligures unam & quinquaginta naves amisisse: quas in suam potestatem redactas cum totis turmis ad Ligusticum nomen abolendum Venetos ac socios mediis fluctibus merfisse memorant quidam, qui id se in Genuensium rebus legisse tradunt. Verum quia de imperio, non de vita agebatur, neque ullo antea bello acciderat, ut hostes in potestatem redactos alter populus victor tam inhumane necarit, vix adduci possum, ut credam ita, ut illi ajunt, in hostes favitum: sed ignominiam potius acceptam alieni criminis atrocitate tegere voluerunt. Venetarum rerum scriptores duas & triginta ex hostibus triremes captas tradiderunt: vim ad hæc hominum ingentem prælio absumptam: sed qui in navibus capti sint, in quibus nobiles plerique fuerint, eos partim Venetias, reliquos a barbaris in Hispaniam missos. Grimaldus cum quibus potuit navibus, atque illis ipsis semifractis, Genuam se trepide recepit: vulgataque per urbem acceptæ cladis fama, tantus fletus, tam miserabilis comploratio in civitate coorta dicitur, ut vix major, Genua capta, oriri potuisset. Victor Venetus cum barbara classe Sardiniam post pugnam adortus, duo oppida vi capta Genuensibus adimit. Inde utraque ab altera digressæ, domum diversæ abierunt.

Genuenses una adversa pugna, sed ea sane atrocissima, fracti, quia suis viribus, ut tum vulgo creditum est, stare amplius non poterant, ad alienas opes confugerunt. Eorum legati ad Joannem Vicecomitem, qui non sacra tantum, sed profana quoque Mediolanensium administrabat, venere. Orationis quam legatorum princeps ad eum habuit, hæc fere summa fuit, ut diceret: *Genuensium fortunam ita uno adverso prælio mutatam, ut quam florens antea ac potens fuisset, tam modo*

1353

Veneti &
Arragonii
in ora In-
feri maris
validam
classem Ge-
nuensium
ingenti præ-
lio vincunt.